



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

§. 3. De Structura conclavis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

defuncti Pontificis & fabricatur conclave; De hoc ergo §. sequente, de illa postea.

## §. 3.

*De structura Conclavis.*

1. *Inventor Conclavis.*
2. *Curat id extrui Camerarius in Palatio Vaticano.*
3. *Nunc cellulae clauduntur panno.*
4. *Sunt hae perquam angustae, & Sorte distribuuntur.*
5. *Conclave undique est conclusum, reliqua solum rotis quibusdam, per quas cibus infertur.*
6. *Quae à diversis custodiuntur.*
7. *Extra Conclave in diversis locis excubant Helveti.*

## I.

**I**Nventio Conclavis, in quo novi Pontificis fit electio, adscribitur cuidam è nobilissima & pervetusta Familia Sabellorum, qui nunc Principes sunt Albanorum ad accelerandam electionem Pontificis ne Ecclesia longo tempore viduata Pastore in schismata, ut aliàs, tam facile & frequenter discinderetur, variisque malis & incommodis affligeretur.

præmium hujus inventionis concessum  
Excellentissimæ Familiæ, ut Caput il-  
lius jure hæreditario sit Mareschallus  
Conclavis, de cujus munere infra non-  
nulla dicemus. *de Luca Rel. Rom. Cur. disc. 3.*  
*n. 14. & 15.*

2. Spectat verò ad Cardinalem Ca-  
merarium defuncto Pontifice curare,  
ut extruatur conclave juxta formam à  
Collegio Cardinalium præscriptam. Fa-  
bricatur id in Palatio Pontificis Vatica-  
no nullo olim intermedio pariete, seu  
alio velamine *cap. ubi periculum de elect. in 6.*  
*§. eod. ut puta festoriis vel cortinis Gloss.*  
*ib. ver. velamine,* ita ut omnes in com-  
muni habitent, & liberè ad se commeare  
possint, reservato tamen àditu ad secre-  
tam Cameram.

3. Sed Clemens VI. *Const. 5. licet in-*  
dulsit postea Cardinalibus, ut liceat illis  
ex decentia honestatis, cum in lectis  
quiescendi causa, vel dormiendi esse vo-  
luerint, habere duntaxat intermedia  
velamina simplicium cortinarum, & cel-  
lulæ hoc tempore, ut vidimus, panno  
viridis coloris clauduntur, vel violacei  
pro Cardinalibus à defuncto Papa creatis.

4. Cellæ, quæ per sortem sine discrimi-  
ne personarum inter Cardinales di-  
stribuuntur, sunt perquam angustæ  
36. pal-

36. palmorum latæ, ut, non nisi lectulum, mensulam & unam alteramve eadem capere possint; singulæ habent exiguam fenestram, quatuor vel quinque palmorum, eamque linteo obductam, ut necesse sit, etiam per diem candellæ aut lampade ad legendum uti.

5. Cæteræ verò fenestræ & Januæ undique muro ex lateribus sunt occlusæ, ut nemo conclave ingredi, nec inclusos videre, aut alloqui, nec quicquam latentem transmitti possit *cit. cap. ubi periculum §. in sacro relicta* solum aliquam fenestrâ *ibid. in conclavi.* nunc pluribus in diversis partibus, per quas cibus pro unoquoque deferatur, ita tamen ut nullus per eas intrare, vel exire possit, ideoque vel in tæ in iis circumaguntur, ut in Claustro Monialium, vel clathris ferreis munitæ sunt.

6. Ad Rotas excubant exterius die & nocte custodes constituti à Mareschallo Principe Sabelli tanquam custode Conclavis, & assistunt Prælati quidam, qui illustrant ea, quæ per Rotas immittuntur. Adest quoque è Cursoribus unus in habitu violaceo cum clava argentea, qui immixtis cibis denuo obserat Rotam, aliquis Prælatorum appositâ chartâ eadem Sigillo obsignat; Quod pariter à M

à Magistro Cæremoniarum in interiore parte Conclavis.

7. Ad Scalam Palatii Apostolici versus aream exteriorem, uti & ad primam januam inferioris atrii, atque etiam ad Scalam, per quam descenditur ad Basilicam S. Petri septum ex afferibus exstruitur, quod Helveti Excubitores Summi Pontificis custodiunt.

§. 4.

De Exequiis defuncti Pontificis, iisque quæ ante Clausuram Conclavis fiunt.

1. Exequia celebrantur novem diebus. Qui sumptus in iis fieri possint.
2. Tempore exequiarum exponitur cadaver.
3. Quotidie habetur Congregatio in Sacristia S. Petri.
4. & 5. In qua diversi eliguntur Conclavistæ.
6. Eorum aliqui per secreta suffragia.
7. Et in majori numero quam olim.
8. Nono die dicitur panegyricus defuncti.

I.

**P**ER novem continuos dies celebrantur Exequiæ pro defuncto Pontifice in Basilica Vaticana, quibus interfunt Cardinales Romæ præsentés, qui impediti non